

## ORATIO

**D**eus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob sit vobiscum, et ipse adimpleat benedictionem suam in vobis: ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad tertiam et quartam generationem, et postea vitam æternam habeatis sine fine: adjuvante Domino nostro *Jesu Christo*, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. **℞ Amen.**

℣. Dominus vobiscum:

℞ **Et cum spiritu tuo. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.**

℣. Benedicat ✠ et exaudiat nos Deus.

℞ **Amen.**

℣. Procedamus cum pace:

℞ **In nomine Christi.**

℣. Benedicamus Domino:

℞ **Deo gratias.**

*Tum aspergendo sponso aqua benedicta, dicat:*

℣. Pax et benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ sancti descendat super vos, et maneat semper.

℞ **Amen.**

*Peracta benedictione, sponso hoc monebit, ut nocte saltem sequenti in castitate et virginitate permaneant, propter reverentiam ipsius benedictionis. Caveant vero omnino, ut supra dictum est, saltationes et tripudia aliaque omnia Matrimonii sanctitati repugnantia. Si thalamo nuptiali benedicendum est, Parochus benedicet ex præscripta formula, quæ infra exposita est loco suo.*

## ORDO BENEDICENDI SPONSUM ET SPONSAM

### JUXTA RITUM SANCTÆ ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

**S**ponsus et sponsa ante consummationem Matrimonii peccata confessi veniunt statuto die in ecclesiam parochialem sponsæ, ubi loco decenti Missam genibus flexis audiunt; Parochus autem Sacerdosve pro sponsis Missam celebrat, ut in Missali, nisi celebranda erit de Dominica aliisque festis de præcepto, aut solemnitate primæ et secundæ classis; tuncque fit commemoratio pro sponsis. In Missa datur pax sponso primum, deinde sponsæ; præbetur etiam sacra Communio sponsis.

*Celebrata Missa, et deposita planeta et manipulo, Parochus, ante altare sponsis genuflexis, dicit:*

℣. Deus ✠, in adjutorium meum intende:

℞ **Domine, ad adjuvandum me festina.**

℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto:*

℞ **Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Halleluja. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.**

℣. Dominus vobiscum:

℞ **Et cum spiritu tuo.**

## ORATIO

**D**eus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, et dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut fœmineo corpori dares de virili carne principium, docens quod ex uno placuisset institui, numquam licere disjungi: Deus, qui

tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi et Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum: Deus, per quem mulier jungitur viro, et societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam: respice propitius super hanc famulam tuam, qua maritali jungenda consortio, tua se éxpetit protectione muniri. Sit in ea jugum dilectionis et pacis: fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum: sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longæva et fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet: nexa fidei charitatisque vinculo permaneat uni thoro juncta; concubitus illicitos fugiat; muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita; sit fœcunda in sobole; sit probata et innocens; et videat filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam generationem, et ad optatam perveniat senectutem, et demum ad beatorum requiem et ad regna perducatur cælestia. Per Dominum nostrum *Jesum* Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. **R. Amen.**

∇. Dominus vobiscum:

**R. Et cum spiritu tuo.**

*Deinde Parochus cum clerico dicit:*

## PSALMUS 127

**B**eati omnes qui timent Dominum, \* qui ambulant in viis ejus.

Labores fructuum tuorum manducabis: \* beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans \* in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum \* in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur omnis homo, \* qui timet Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: \* et videas quæ bona sunt Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ:

Et videas filios filiorum tuorum: \* Pax super Israël.

*Gloria Patri, et Filio, \* et Spiritui sancto:*

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculorum. Amen.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc., **secreto usque ad**

∇. Et ne nos inducas in tentationem:

**R. Sed libera nos a malo.**

∇. Salvos fac servos tuos,

**R. Deus meus, sperantes in te.**

∇. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,

**R. Et de Sion tuere eos.**

∇. Domine, exaudi orationem nostram:

**R. Et clamor noster ad te perveniat.**

∇. Dominus vobiscum:

**R. Et cum spiritu tuo.**